

410

408

414

404

419

399

459

359

309

Ende

Anfang

395

hic enim mundum reliquisti, et ad patrem rediisti: queso
Domine, jube me venire ad te, ut in dextra patris quaeram et
inveniam te. Hac oratione finita in conspectu omnium pere-
grinorum jocunda facie exspiravit, et eum, quem peregrinando
per loca sancta quaesivit, moriendo in coelo invenit.

De monte Oliveti et ejus nominibus et ejus sanctitate.

Ex praedictis patet aliquantulum montis Oliveti dispositio,
Pre majori tamen ejus notitia volui sequentia annexere. Da-
nielis XI. nominatur hic mons sanctus et inclitus, et commu-
niter etiam mons Oliveti dicitur. Proprium tamen nomen ejus
est mons luminum. Illuminatur enim mons ille primo a
sole. Nam statim, ut sol oritur, radiis ejus illustratur ante
alios montes, et ab eo radii contracivitatem sanctam trans-
mittuntur et contra templum; templum enim Salomonis ita
erat constructum, quod ostium ejus respiciebat ad orientem, et
altare cum arca testamenti stabat in occidentali parte templi
contra ostium. Et quando sol oriebatur, et cacumen montis
Oliveti transcendit, primos radios de supercilio montis mittens
contra civitatem ante ostium tabernaculi exterioris intrabant,
et per ostium tabernaculi exterioris intrabant, et per ostium
tabernaculi interioris penetrabat usque ad arcam testamenti,
quae primis ictibus radiorum illuminabatur. Ecclesia tamen
ascensionis Domini semper primos radios suscepit, ut supra
patuit, fol. 149 B., et a se templo Domini transmittit, et si
haberet duo ostia, contra se posita, in pariete orientali unum,
et alterum in occidentali pariete, tunc in aequinoctiali tempore
sol oriens per ostia illa traasmitteret radios ad ostia templi
Domini, ad arcam testamenti, et ad propitiatorium, et ad Che-
rubim. Et ideo dicebatur mons luminum.

Secundo sic nominabatur, quia noctibus illuminabatur a
parte occidentali a luminibus templi Domini. Nam tot lampades in templo Salomonis ardebant, quod montem oppositum
illustrabant, ut supra dictum est fol 149. Et hodie lumen templi usque ad montem spargitur. Dicitur enim, quod Sar-
raceni septingintas lampades in eo semper habeant ardentes,
et in ecclesia ad latus templi octingintas. Fui aliquando

